

Joachim Lütkemann Paul Schütte

Iudicii Metaphysici Minores Disputatio Sexta De Determinatione Entis Ad Inferiora

Rostochii: Reusnerus, 1639

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729601056>

Druck Freier  Zugang



Ru phil 1639

Jochim Lüttemann

Paul Sagittarius




JUDICII METAPHYSICI
MINORIS
DISPUTATIO SEXTA
DE
DETERMINATIO-
NE ENTIS AD IN-
FERIORA,

Assistente cœlesti Numine,
Amplissimâ Facultate Philosophicâ consentiente,
In inclytâ Academiâ Rostochiensi
Publico & placido Examini subjecta
PRÆSIDE

M. JOACHIMO LUTKEMANNO,
Demminensi Pomerano,

RESPONDENTE
PAULO SAGITTARIO
Julinensi Pomerano.

*In Auditorio majori die 3. Aprilis
horis matutinis.*



ROSTOCHII,
Literis JOHANNIS REUSNERI,
Anno M. DC. XXXIX.

1639

DETERMINATIO
DE FINIS
PERIODE
M. JACOBINO
TABULO
M. J. JOHANNIS



DE DETERMINATIONE ENTIS

AD INFERIORA.

§. I.

DE modis Ens ad inferiora contrahentibus acturi, rem aggredimur rursus intricatissimam, Dubito, an satisfacere hic aliis possimus, qui nondum per omnia satisfacimus nobismet ipsis. Contentos tamen nos oportet vivere iis, quæ inventa sunt, quantacumq; sunt, donec evidentiora in apicem proferat felicius aliquod ingenium. Difficultatem omnem parit hæc quæstio: *Quidnam sit, per quod Ens determinetur, aut contrahatur ad inferiora; seu, per quod Substantia differat ab Accidente; Ensne sit an Non Ens.* Non Ens dici non potest, nam absurdum est Substantiam formaliter constitui per non-ens. Si autem Ens id est: de illo rursus quæri potest, Ens ne sit simpliciter & præcisivè; an determinatum. Si prius, substantia nihil aliud est, quam Ens præcisum bis repetitum. Si posterius. E. ille ipse modus determinans Ens ad substantiam præsupponit aliquod determinativum, de quò rursus redintegrari potest quæstio, donec pervenias ad aliud hujus determinativi determinativum, & hujus rursus aliud in infinitum. Hæc difficultas peperit omnem istam discordiam, quam non tam composuimus quam examinavimus Disputatione præcedenti. Hanc enim ut tolleret, *Alius* negavit conceptum Entis esse unum aliquod præcisum ab inferioribus, ut frustra sit, de determinatione aut contractione qui quærat. Sed frustra est, quicumq; hoc asserit. Nam si Accidentis & Substantia in aliquò conveniunt, in aliquò discrepant: non frustra est, qui quærit, quidnam sit, per quod discrepant: per quod illud, quod ipsis commune est, ad alterutram Accidentis vel Substantiæ naturam determinetur. De hæc re egimus §. 3. *Alius* difficultatem sublatam putat si conceptum Entis ratione præcisum ab inferioribus, non nisi ratione differre ab iisdem asserat. Verum parum ad rem facit, si conceptum istum generalissimum, ratione præcisum ab inferioribus, tantum ratione ab iisdem differre dicas, si ex natura rei; modo ne statuas differentiam aliquam realem. Nam difficultas proposita

urgeri potest etiam de præcisionibus, abstractionibus & compositionibus merè mentalibus. De hac re egimus §. 6. *Alius* se extricare nititur distinctione inter Ens quidditativum & qualitativum; cum qualitativum Ens (per quod fit determinatio) non convenire cum quidditativo sub conceptu aliquò communi quidditativo, existimet, adeoq; nec esse Ens præcisum, nec determinatum. De quò §. 14. *Alius* cuncta pervertit, negandò Ens esse de ullius rei essentiâ. De quò §. 13. 15. 17. & 18. *Alius* demum desperatione adactus negat, modum determinantem Ens, esse Ens, de quò infra. Ità hi pleriq; versurâ solvunt debitum, & ut coronatum solvant, talentò se obtigant.

§. 2. Ut lucem aliquam affundamus huic materiæ, *prænotamus*, in omni determinatione Entis universalis ad inferius, reperiri hæc tria: Determinabile, Determinativum, & Determinatum. *Determinabile* est communis natura ab inferioribus præcisa, ut Animal. *Determinativum* est modus vel differentia, communem naturam ad peculiarem Entis speciem contrahens, uti Rationalitas. *Determinatum*, est natura peculiaris ex utroq; determinabili puta & determinativo constituta, uti homo. In unoquoq; horum datur aliquod primum, aliquod ultimum, aliquod intermedium. *Gradus determinabilis supremus & primus*, descendendò à summò ad imum (qui aliàs ascendendò à singularibus ad universalia dicitur ultimus) est Ens, quia supra ipsum non datur quid prius determinabile. *Gradus ultimò determinabilis* (qui ascendendò sunt primi) sunt species infimæ, quia infra species non datur quicquam ulterius determinabile, sed mera singularia. Reliqui *gradus* sunt *intermedij*. *Gradus determinati primi* sunt Entis species, in quas Ens immediatè dividitur; ut Substantia & Accidens. *Ultimi* sunt Individua. Reliqui, sunt *intermedij*. *Gradus Determinativi primò*, sunt modi Entis intrinseci, Ens primum dividentes. *Gradus determinativi ultimò*, sunt conceptus ultimarum differentiarum, quibus non datur ulterius quid determinativum. Differentia autem ultimæ sumuntur ab ultimis gradibus Entitatis, cujusmodi sunt omnes & solæ differentię individuantes. Distinguunt tamen *differentias ultimas* nonnulli ità, ut aliæ sint *ultima ultimæ specificationis*, quæ constituunt

stituunt ultimam speciem: ut in homine differentia sumitur à gradu intellectivo, qui ultimus est ultimatae specificationis: Aliæ, *ultimatae determinationis*, qui constituunt ultimum gradum naturæ & Entis simpliciter. Tales sunt differentia individuantes. Gradus determinativi *intermedii* sunt differentia reliquæ omnes, quæ species & genera intermedia constituunt. Ex his gradus determinabilis primus, qui est Entis, est *absolutè & simpliciter simplex*. Ratio enim Entis nullò modò potest esse determinativa, nec ratione sui, nec alterius i. e. nec seipsum Ens potest determinare, nec aliud superius: sed est purè determinabile. Conceptus primò determinativus. e. g. Perseitas, etsi similiter dicitur simpliciter simplex, quòd non possit resolvi in plures, non tamen ita purus est, ut gradus determinabilis primò. Neq; enim in Metaphysicâ compositione se res ita habet, ut in compositione Physicâ. Quæ Physicè componuntur, resolvuntur ultimò in purum actum, qui nihil potentialitatis includit, & in puram potentiam, quæ nihil habet actualitatis. Quæ Metaphysicè componuntur, resolvuntur ultimò in realitatem purè determinabilem, quod Ens est; & realitatem aliquam determinativam supremam, quæ quidem pura est ab aliis realitatibus determinativis, sed non à realitate determinabili. Ità nec differentia ultima s. ultimum determinans est conceptus purè simpliciter simplex, ita ut excludat omnem compositionem. Cognitò enim quòd sit aliquod Ens, adhuc ignorari potest, quale sit. Cujus autem aliqua certitudo & dubitatio, i. e. quòd secundùm aliquid concipitur, secundùm aliquid ignoratur, non est purè & simpliciter simplex. Omnis autem difficultas consistit in primâ determinatione, quæ, per quid aut quomodo fiat, haut determinatu facile est.

S. 3. Omnium autem primò removendum est in hoc scrutinio, quod Soncinas affert 4. *Metaph. quest. 1. ad 2. & quest. 19. ad 7. & lib. 5. quest. 24.* statuens modum determinantem Ens, v. g. ad substantiam, esse tantùm negationem, quam circumscribimus hâc voce; *per se*. Firmum enim nobis primò sit: *Nullam Determinationem Entis ad inferiora fieri per non-ens*. Nihil enim intrinsecè constituitur per ablationem alicujus rei, sed per id, per

quod intrinsecè est, quod est. Id patet evidentius adducendò species Entis. Quis diceret, Ens determinari ad Ens increatum per negationem? Absurdum est, Substantiam constitui in ratione substantiæ per solam negationem: Sic enim conceptus substantiæ formaliter esset negativus, ratione confictus, minimè realis. Absurdum id quoq; hoc nomine est, quòd substantia præstantius Ens sit, quàm Accidens. Nam Accidens aut constituitur per modum positivum & realem, aut per negativum. Si prius, E. 1. non omnis species Entis in primâ determinatione determinatur per modum negativum, sed aliqua per positivum. Adeoq; adhuc relinquitur difficultas de Determinatione prima, quam declinare Soncinas voluerat, negandò primâ determinationem fieri per modum positivum. 2. oritur illud quod diximus, absurdum, Ens præstantius Accidènte determinari per negativum modum, adeoq; formaliter esse cõceptum negativum; cù tamen Ens ignobilius accidens puta, determinetur per modum positivum, adeoq; formaliter constituat conceptum positivum. Si verò & Accidens per modum negativum constitui dicitur, tum demum orietur circulus ratione non perceptibilis. Substantia constituitur per negationem Inhærentiæ, Accidens per negationem Perseitatis. Perseitas juxta te, nihil aliud est, quàm negatio inhærentiæ; inhærentia autem nihil aliud est, quàm negatio Perseitatis. En habes negationes negationum inexplicabiles in infinitum. Substantia constituitur per Perseitatem i.e. per negationem inhærentiæ, i. e. per negationem modi accidentalis. Quis autem est modus accidentalis? negatio modi substantialis. Substantia itaq; constituitur per negationem negationis modi substantialis sc. Perseitatis. Redi si lubet, ad investigandum modum perceptibiliorem substantiæ, quæ, cum sit negatio modi Accidentalitatis, deprehendes, continuari posse hunc circulum, & extendi per negationes negationum in infinitum. Relinquitur igitur *modum determinativum, ut & differentiam omnem Entis realis semper esse reale quid & positivum.* Omnem dico *differentiam* Nam differentia, cum contineat essentiam rei, dat aliquid esse rei. E. negatio non potest esse differentia, aut constituere Entis speciem.

S.4. Nota-

§. 4. Notabis tamen hic, quod utamur differentiis negativis sapè, non quod verè negativa sint, sed quod positivum, cum lateat, melius declarare non possumus, quam per negationem. Sic cum substantiam describimus per negationem inhærendi in alio, intelligimus positivam aliquã perfectionem, vim puta, per quam esse possit absq; subjecto: sicuti in definitione Accidentis concipimus conditionem aliquam & naturam positivam, quæ ad sui existentiam requirat adhæssionem ad aliud. Illam naturam existendi absq; subjecto cum positivè exprimere volunt, vocant Perfeitatem. Eòdem modò infinitatem Dei, quæ in summè positivâ perfectione consistit, non melius, quàm per negationem declaramus. Ità per irrationalitatem intelligimus naturam aliquam determinatam in animali, quæ ita potest existere sine rationalitate, ut cum eâ simul existere in æternū nequeat. Id quod & inde evidens est, quòd natura animalis in præcisione etiam irrationalis dicenda sit: Rationale enim vel Irrationale, si sumuntur termini contradictoriè, dicendum est, quicquid aliquò modò concipitur. Et tamen eadem natura animalis in præcisione denudata esse debet à ratione differentiarum, alioquin contingeret, in unâ specie animalis reperiri utriusq; differentix contradictoriam i.e. una eademq; species animalis, homo puta, simul rationalis esset & irrationalis. Conciliatio inde petenda est, quòd aliud sit *Irrationale præcisivè & privativè*; aliud *Negativè & determinativè*. Irrationale, vel potius non rationale prædicatum de animali in præcisione, sumitur *præcisivè & privativè*: i. e. nihil addit communi naturæ animalis, sed dicit nudam rationis privationem, quòd possit natura animalis existere in rerum natura sine ratione, possit & juncta cum ratione. Irrationale prædicatum, ut differentia, de bruto, sumitur *negativè & determinativè* i.e. dicit naturam jam determinatam excludentem omnem rationalitatem. Irrationale præcisè & privativè sumptum, indeterminatum adhuc est, & æquè se habet ad irrationale sumptum negativè & determinativè, & ad rationale. Id quod secus se habet, cum est differentia. Hæc qui nondum rectè capit, conferat Disput. præcedentis §. 5. Idem iudicium esto de differentiis inanimatorum & non-sententium, cum corpus

pus dividitur in Animatum & Inanimatum; Animatum in sentiens & non sentiens. Atq; hoc primum esto, quod nunc ponimus extra dubitationis aleam. Omne determinativum Entis realis, ipsum esse Ens reale.

§. 5. Constitutio, determinationem primam Entis fieri per Ens, inquiramus porro per quidnam fiat, & quomodo. Fit autem omnis determinatio vel per Differentias, vel per modos. Conveniunt hæc in nonnullis. 1. *Dividunt aliquid, & aliquid constituunt.* Hinc omne determinativum, ratione officij vel est constitutivum, vel divisivum. Ejus enim duo actus, dividere determinabile s. superius; & constituere determinatum sive inferius, simulq; distinguere ab aliis speciebus omnibus. *Constituunt autem speciem, non extrinsecè & effectivè, ut efficiens; sed intrinsecè & formaliter, se ipsum communicandò in partem essentialem speciei.* Et hæc ratione omne determinativum æquiparatur formæ. Nam sicut forma constituit compositum intrinsecè, communem materiam actuandò & determinandò: ita differentia & modus speciem intrinsecè constitunt, communem naturam determinandò & actuandò. Et sicut materia in se est pura potentia, actum autem accipit per formam; ita natura determinabilis est totum potentiale; habet enim potentiam ad certam speciem; actum autem accipit per gradum determinativum, qui junctus naturæ determinabili, constituit aliquod totum actuale. Hinc desumpta est denominatio cognitionis potentialis & actualis, quâ distinctione usi sumus Disp. 2. §. 7. Atq; ita, inquam, Determinativum æquiparatur formæ, quòd utrumque aliquid determinet & actuet: Discrepantia est in modo. Forma quodammodo extrinsecè advenit materiæ, nec identificatur cum eâ: Differentia & modus contrahunt intrinsecè suum genus, cum illo constituunt unam simplicem Entitatem, & identificantur cum eò. Atq; hinc porro, materia recipiendò unam formam, aptitudinem adhuc habet ad aliam, eò, quòd non mutabatur intrinsecè per formam: at genus amittit omnem aptitudinem ad alias differentias, contractum per unum, quia intrinsecè restringitur. Sic primò conveniunt differentia & modus. Conveniunt secuandò, *quòd nullum Contrahens sit de essentia*
contra-

contracti, quia superadditur illi. Nec contractum s. genus actu continet differentiam dividentem. Quod enim de essentia generis est, id commune est. At differentia non est communis, sed unius determinatæ speciei, quam constituit, propria. Est igitur contrahens extra essentiam rei, per modum accidentis, non obstante; quò modi primùm contrahentes vocentur intrinseci.

§. 6. Discrepantiam inter differentiam & modos ponimus. 1. *Ratione realitatis determinabilis. Realitas determinabilis per differentiam, potest perfectè concipi absq; suis differentiis, & terminare cognitionem perfectam.* Est enim natura quædam, licet ulterius determinabilis, distincta tamen, longeq; minus confusa, quàm Ens contrahibile per modos. e. g. Animalitas perfectè & in quocunq; gradu sibi debito potest concipi absq; eò, quod in eo concipiatur rationalitas & irrationalitas. *Natura determinabilis per modos, sine modò non potest perfectè concipi, aut terminare perfectam cognitionem intellectus.* Est enim confusa nimis, nec distincta satis, ita ut distinctum formare queat conceptum. Et si enim natura ista est unum quid, ita tamen est confusum, ut modi ejus potiùs censerì debeant rationes explicativæ istius confusi, quàm contractivæ & determinativæ illius unius. 2. Discrepantiam observamus *ratione determinativi, & modò determinandi. Differentia est alia Realitas à ratione generis determinabilis, illudq; velut pertrahendò ad alium statum, externe, i. e. extra propriam realitatem perficit, addendò sc. aliquid, quod est extra rationem generis. Ita rationale & irrationale est extra rationem animalis. Modus intrinsecus non est alia realitas & formalitas distincta propriè à Realitate rei, cujus est modus, immò, in separatione ab illa, etiam si solâ mente fiat, planè nihil, & nullò modò perceptibilis. Nullus enim potest concipere, Per se, & In alio, (si ab Ente, cum quò Substantiam & Accidens constituunt, abstrahas) tanquam formale aliquod objectum, quod per se sit capax terminare cognitionem perfectam. Ita modus non est alia realitas; sed est gradus internus illius realitatis, quam determinat, illam intra seipsam perficiendo i. e. modificat internè Ens, & illud intra propriam realitatem perficit, nec tam novam natu-*

B

ram

ram constituit, quam eandem priorem naturam magis explicat & determinat. Cujus exemplum peti licet à gradibus caloris & albedinis: Intensio ad 4. gradus addita calori, non naturam aliam à calore constituit, nec calorem tanquam aliquod superius in alium statum pertrahit, sed illum, tanquam aliquod confusum intra seipsum perficit & determinat. Nec pugnat cum his, quòd suprà dicebamus, contrahens non esse de essentia, sed extra essentiam contracti. Utrumq; n. verum *Modus contrahens non est de essentia Contracti*; quia contrahibile per modum, in præcissione nudum est ab omnibus modis determinantibus. Alioquin ejus non daretur conceptus unus. Et tamen *Modus est Intrinsecus*, & intrinsecè modificat & determinat, quia nō aliunde advenit, q. alterius naturæ, nec addit quicquam, quod extra rationem determinabilis. *Paucis.* Res per differentiam determinabilis per modos, est prædicabilis de modo, & non est propriè dictum Genus.

§. 7. Differentia itaq; est id, quod generi s. naturæ determinabili distinctæ, ab extra additū, constituit certam speciem. Cognoscuntur differentiæ, ut plurimum ex effectis. Dividuntur in Genericas & Specificas, quibus adde ultimas s. individuales. *Modus determinativus* est id, quod naturam determinabilem confusam intrinsecè explicat & determinat. *Intrinsecè*, inquam, i. e. ut non sit alterius naturæ. Modi hi dicuntur *Intrinseci*, & distinguendi sunt. 1. *ab Extrinsecis.* Intrinseci intrinsecè Ens dividunt; Extrinseci & Accidentales Entium speciebus competunt, easq; ab extra afficiunt, ut, Sessio, Incurvatio, Actio. &c. de quibus agitur, cum Modalis Entium distinctio explicatur. 2. Distinguendi sunt hi modi determinativi à *gradibus Accidentium* intensivis & extensivis, cum quibus licet magnam habeant convenientiam, non tamen sunt iidem, ut dicemus infrà. Ex dictis a. evidentissimum est, determinationem Entis non fieri per differentias, saltē idèd, quia Ens includitur in ipsò modò. Finitum itaq; & Infinitum: Perseitas & Inalietas sunt modi, non differentiæ.

§. 8. Vidimus, per quid Ens contrahatur, videamus quomodo? Cum n. Ens, ut diximus, contrahatur s. determinetur
per

per modum: modus autem non fit alia realitas à realitate determinabili: nondum omnibus obvium est, quomodo idem contrahatur per seipsum. Duplicem autem viam determinationis inveniunt Doctores, unam *Compositionis*, *Explicationis* alteram. *Via Compositionis* est, quando ex alia atq; alia realitate, tanquam ex partibus Metaphysicis, nova natura constituitur, ut ex animali & rationalitate homo. *Via explicationis* est, cum eadem realitas distinctiori conceptu exprimitur, sine compositione magis explicatur, & ex conceptu confuso distinctus redditur, ut fit in gradibus qualitativis. In via compositionis aliquid tertium componitur ex perfectivo & perfectibili. Modus explicationis est unius ejusdemq; intra seipsum. Jam dubium est, utrum *Ens* determinetur e. g. ad substantiam per viam compositionis, an per viam explicationis.

§. 9. Duplex est Doctorum sententia; Una, *Determinationem Entis ad Substantiam fieri per modum compositionis*. Pro hac sententiâ hoc urgeri potest argumentum. *Omne resolvable in duos conceptus distinctos (sive ratione tantum, sive ex natura rei) est compositum ex duobus conceptibus. Conceptus Substantiæ est resolvable in duos conceptus (Entis pura, & Perseitatis) distinctos (si non ex natura rei, saltem ratione)*. Nam *Modus per se*, aut *Ens* est, aut non-ens. Non esse Non-ens fatentur etiam Assertores contrariæ sententiæ. Si autem est *Ens*, aut est *Ens præcisum* & indeterminatum; aut non præcisum & determinatum. Non prius, ut notum est. E. posterius. E. *Substantiæ* conceptus non est gradus determinatus primus: sed resolvitur adhuc in gradum determinatum se priorem, sc. *Perseitatem*. *Conceptus itaq; Substantiæ ex duobus conceptibus est compositus*.

§. 10. Si autem ulterius quærat, quomodo ad ipsum modum *Per se* contrahatur *Ens*; Respondendum 1. *Determinationem ad modum non fieri per alium modum, nec per viam compositionis*, æquæ ac *modus per se*, resolvable esset in duos conceptus, *Entis* sc. & *modi innominati*, ratione ab ipsò modò *per se* distincti, minusq; perfecti. Quia necessario in resolutione *Metaphysicâ*, ne processus detur in infinitum, subsistendum est in aliquò, non ulterius resolvable. *Objectio*. In modo *per se* est

ratio Entis modificata, & modificata aliter, quam in ipsa substantia, & in modô Accidentis, puta in alietate. Distingui itaque ratione potest ratio Entis, quæ modificatur, à ratione modificante. Verum sic in infinitum procedendô, semper modus per alium modum esset determinabilis. Quô datô, infiniti quoq; ponendi & fingendi essent modi in conceptu substantiæ, ex natura rei distincti, in perfectione inæquales, terminati in modo ultimô, perfectissimô & proximè constitutivo substantiæ, ubi omnes sunt simul. Adeoq; ipse modus per se, esset infinitus in perfectione. Quæ absurda omnia. Et hæc omnia, si maximè solâ ratione perficerentur, mens tamen ipsa abhorret à processu in infinitum: Immodò mens nostra nunquam res distinctè concipere posset. His itaq; incommodis ne obruaris, Dicendum 2. *Modum Per se seipsô distingui ab omni alio Ente, tam Completo, quàm Incompleto.* Ut enim datur aliquod primum determinabile, quod determinatur; ita quoq; subsistendum in aliquô, quô determinetur illud, quod sit primû determinativum; & est simpliciter simplex, quia non in duos conceptus resolvable est. Alij annotant hanc regulam: *Ratio constituendi & distinguendi aliud, est distincta per se à quolibet alio.* Sic in rebus Phisicis forma est, quæ distinguit unum compositum ab alio, ipsa verô est distincta per se; & in universum actus est, qui distinguit, ipse vero actus per se est distinctus, non per aliud. *Suarez. Diss. 2. sect. 6. n. 6.* De prima itaq; determinatione Entis v. g. non de eâ, quæ fit ad substantiam, sed de eâ, quæ fit ad modum *Per se*, verum duntaxat est, fieri illam non per modum compositionis, sed solum per modum expressioris conceptus: ita, ut modus *Per se* ab Ente differat, non per aliud, sed se ipsô, in hoc solum, quôd est conceptus magis determinatus, quàm ille Entis. Atq; hæc est prior sententia.

§. II. Altera & magis recepta sententia est, *ipsam determinationem Entis ad substantiam, non fieri per compositionem, sed expressiorem conceptum.* Fundamentum hujus sententiæ est destructio fundamenti adducti pro sententia priori. Id jacimus ita: *Omnis conceptus resolvable in duos conceptus, quorum alter alterum includit, non est determinatus per modum Compositionis, sed explicationis.*
Resolva-

Resolvatur v. g. substantia in duos conceptus, Entis & modi *per se*. In ipsò modò *per se*, includitur ens, & ipsum *per se*, ideoq; tantum continet, quantum conceptus totus substantiæ. Atque ita non facta est propriè dicta resolutio. Etsi enim substantia concipitur, ut Ens & Per se: *Per seitas tamen est ipsa substantialitas, in quâ omne id reperitur, quod est in ipsa substantia*, ita, ut quando Ens determinari dicitur ad substantiam per Perseitatem, idem est ac dicas, determinationem ad substantiam fieri per substantialitatem i. e. per se ipsam *Excipit* Adversa pars, ut videre est apud Suarezium n. 4. Substantia includit modum *per se*, ut partem Metaphysicam formaliter constituentem ipsam, atque ipsa est totum constitutum ex Ente & modo. Modus autem *per se*, includit seipsum, seu potius est ipsemet, non ut pars sui, sed ut id quò constituitur substantia. Et hæc ratione vera fit resolutio substantiæ in Ens & per se: neq; idem omnino includitur in modo, quod concipiebatur in substantia. *R.* Exceptionis hujus caput est, & substantiam & modum *per se*, præter Ens inclusum habere intus ipsum *per se*, sed diversò modò; substantiam includere *per se*, ut partem Metaphysicam constituentem; Modum autem *per se* non includere illud *per se*, ut partem, sed esse illud ipsum, ut constitutivum substantiæ. Verùm, nec sic ostenditur quicquam in modò *per se*, quod non sit in substantia; si maxime detur diversitas considerandi. Nec diversitas allata proba est, neq; enim ita se habet, quod dicitur, Perseitatem includi in substantia, ut partem formaliter constituentem substantiam: Est enim tota formalitas, immò totum esse substantiæ, ipsa sc. substantialitas: nihil omnino cogitari potest in uno, quod non sit in altero; differunt saltem, ut quod & quò; ad eum modum, quò humanitas & homo. Incedit mihi hæc ruminanti, in hæc propositione, Substantia est Ens per se, illud *per se*, separatim ab Ente consideratum, non malè comparari *Adjectivo adjectivè sumto*, quod extra connexionem nihil significat: e. g. album, nisi subintelligas aliquid, nihil est. Si autem cum Ente illud *per se* jungas, habes aliquid, sed id aliquid nihil est, præter quâ substantia. Constat itaq;, impropriad duntaxat & analogicam esse resolutionē, cum Substantia resolvitur in ens & Perseitatem,

B ;

cum

cum hæc illud prius, non minus, quam substantia, complectatur intimè. Suarezius n. 7. hoc fundamentum ita exprimit: *Omne totum confuse conceptum in conceptu præciso, repetitum in alio objecto expressius conceptò, & in toto illo, quâcunq; ratione consideretur; includitur in inferiori sine propria compositione inferioris.* e. g. Cum dividimus quantitatem bicubitam & tricubitam, conceptus bicubitæ quantitatis nequaquam resolvitur in conceptum duplicem, quantitatis & bicubiti; quia impossibile est, concipere bicubitum, non conceptâ quantitate: sed ob hoc ipsum dicuntur tantum differre, ut expressum & confusum. Ita Calor includitur in calore ad gradus octo, & in gradibus ejus singulis. Calor itaq; ad octo gradus, non addit modum distinctum, faciens compositionem, cum calore simpliciter, sed per eum exprimitur calor, ut est in re. Neq; est quod cogites, fundamentum hoc negare tantum resolutionem & compositionem realem, non impedire mentalem: quia etiam mente factâ resolutione, quomodocunq; fiat, semper determinatum determinabile includit. Hinc Doctores etiam conceptum substantiæ vocârunt simpliciter simplicem, non quod ðninò non sit resolubilil in duos conceptus; hoc enim solius Entis: sed quòd non sit resolubilil in duos conceptus mutuò præscindentes & compositionem efficientes, Ens enim solum præscindit simpliciter, modus autem Ens includit. Hinc etiam dicunt, Ens quidem esse abstractius quid, quàm Ens per se, sed non simplicius, cum & hoc compositionem excludat.

§. 12. Unicum est, quod & supra attingimus, quod præcipue consensum remorari posset. In Modo sc. *per se* esse determinatum, & aliter quidem, quàm in substantia, aliter quoque, quàm in Inalietate, modo sc. Accidentis. Quod si ita est, sanè conceptus Perfeitas alius erit à conceptu substantiæ. Sed quid hîc statuendum sit, ex iis, quæ jam dicta sunt, patet. Modus n. Per se, sive Perfeitas objective nõ distinguitur à substantia, sed tantum ex modò concipiendi, ut quod, vel ut quò. Judice autem Suarezio n. 12. in rebus proprie non est quò & quod; sed tantum Quod. Mens a. ut distinctius rem explicet, utitur illis concipiendi modis. Atq; ita reverâ idem simul est primum determinativum, & determinatum primum, prout sc. concipitur, vel ut quod

quod, vel ut quò. Et sic quoq; intelligi potest, quomodo idem seipsum determinet.

§. 13. Ut evidentior sit hæc determinatio, quæ fit per viam explicationis, notandū est talem semper esse determinationem, qualis fuit præcisio. In abstractione generis à differentiis, ut Suarezius habet n. 10. fit separatio s. abstractio unius ab alio, materialis à formali. Talis non est in præcisione Entis, quæ consistit in cognitione aliquò modò confusa, quâ consideratur objectum, non distinctè & determinatè, prout est in re, sed secundum aliquam similitudinem vel convenientiã, quam cum aliis habet, quæ convenientia in ordine ad conceptum Entis est in rebus secundum totas Entitates, & modos reales earum. Et idè confusio s. præcisio talis conceptus nõ est per separationè præcisivam unius gradus ab alio (hæc n. non habet locum in Ente propter illimitationem ejus & transcendentiam) sed solum per cognitionem præcisivam conceptus confusi à distinctò & determinato. Sic præcisio Entis explicat Suarezius d. l. Sicur a. hæc præcisio Entis est à conceptu distinctò ad confusam aliquam convenientiam & indeterminatã, sine resolutione propriã; ita conceptus istius confusæ cõveniẽtiæ determinatur & contrahitur rursus ad determinatum illud, non per cõpositionem, sed per reasumptionè istius determinati. Hòc respectu summa genera, non obstante, quòd in aliquò conceptu confusò convenient, dum imperfectã similitudinem habent in ratione Entis: primò diversa dicuntur, eò quòd non habent determinatas differẽtias, quæ sunt extra rationè illius communis, s. entis: sed seipsis habent diversitatem in propriis & determinatis naturis, ut iterũ Suarezius annotat n. 22. Meurisse l. 1. *Met. q. 10. concl. 2. §. quod spectat ad secundũ: ex Aristot. hæc ita explicat. Ens non per aliud distinctum realiter, immò nec formaliter simpliciter, sed seipso, paulo aliter tamen se habente à parte rei, statim est substantia, & qualitas, & quantitas.* Vis clariùs dicam? En cape. Id in quod omnes conceptus ultimò resolvit intellectus, est Ens. Oportet igitur omnes alios conceptus accipi ex additione ad Ens. Sed Enti nihil additur naturæ extraneæ, ut generi additur differentia. Unaquæq; enim natura est Ens essentialiter: sed exprimitur specialis modus essendi. Entis conceptus sine modo est confusus & imperfectus, cum modò est distinctus & perfectus.

Est

Est igitur hęc una realitas perfectę & imperfectę concepta. Ita albedo visibilis dicitur conceptum compositum ex re cum realitate accidentis: at albedo intensa, non dicitur conceptum compositum, per aliquod accidens; sed dicitur conceptum determinatum per certum gradum albedinis intrinsicum: quod exemplum utitur Doctor subtilis in 1. d. 3. quest. 1. §. quarto dico. Exemplum de quantitate bicubita attulimus supra §. 11. Imo Sanctissimę Trinitatis natura hęc intellectum tuum juvare potest. Idem enim suo modo contingit in substantię determinatione, quod in relatione & personę divinę, ubi nulla est constitutio ex Ente & modo per modum compositionis, sed per simplicem & adęquatam identitatem.

§. 14. Dubitare posses, an hęc omnia conveniant cum eo, quod antea docuimus, Ens esse distinctum ab inferioribus ex naturę rei. Si enim Ens ob suam transcendentiam nequit determinari per viam compositionis, sed per simplicem potius identitatem, ob eandem transcendentiam, utiq; nullus præcisioni hęc locus erit, nisi ei, quę solę sit ratione. Verum, conveniunt optimę: Consequentiam imbecillam esse ostendit, vel solum, quod adjecimus, exemplum relationum personalium in divinitate. Quoad rem ipsam, ascribo verba Meurisse ex l. 1. Met. q. 10. concl. 2. §. Porro hęc: Ratio essendi nunc magis, nunc minus expressa; nunc imperfecta, nunc perfecta reperitur etiam ut sic in conceptibus objectivis. Hinc fit, ut illa communis & confusa ratio, ut communis & confusa, sit ex se præcisa à seipsa, ut distincta & determinata: Nam etiam ex natura rei gradus essendi prius potest nobis objici, quàm gradus essendi sic vel sic. Et quanquam Physicę & realiter non sit prior gradus essendi, quàm gradus sic vel sic essendi, tamen Metaphysicę & conceptibiliter prior est. Hęc ille.

§. 15. Coronidem apponerem, nisi recorderer difficultatis, quam movet idem Meurisse l. 1. Metaph. quest. 11. concl. 2. 3. & 4. Confecimus tecum de determinatione Entis, illam fieri per modum, non per differentiam; nec per modum compositionis, sed per modum explicationis: porro quærimus, An modi per explicationis viam conceptum confusum determinantes, ita eum determinent, ut non varient essentialiter naturas constitutas, Meurisse concl. 2. diffe-

differentias à modis ita distinguit, quòd differentiæ variant & distinguant essentialiter naturas, quas constituunt; modi non. Albedo e. g. ad 4. gradus non est alterius rationis formalis, ab albedine ad duos gradus. Quod ita sese habet, non parva oritur difficultas. Anne enim Deus & Creatura distinguuntur essentialiter per finitum & infinitum: Substantia quoq; & accidens per Perseitatatem & Inalietatem? Ubi non sufficit dixisse; modos non variare rationem Entis, quod determinant; variare tamen naturas constitutas. Quia & exemplum graduum albedinis obstat, & ipsis quoq; differentiis competit, non variare rationem generis, quod contrahit. Respondet Meurisse *Concl.* 3. & 4. distinguendò inter *rationem finiti & infiniti*; & inter *modos determinantes Ens finitum ad prædicamentalem ordinem*, ut est, *Perseitas & Inalietas*. Finitum & Infinitum, juxta ipsum, uti non variant rationes transcendentium: (e. g. Bonitas finita, & bonitas infinita, non sunt diversæ rationis: quia infinitas addita bonitati, non variat rationem ejus formalem, sed tantùm illam intra eandem speciem in infinitum perficit entitative,) ita finitum & infinitum addita Enti, non variant rationem ejus formalem, nec (ut sic) cum ipso novam quandam naturam constituunt, sed tantùm priorem magis explicant. Si objicis: Hæc ratione Deus & Creatura sunt ejusdem rationis. Respondet negandò consequentiam, & distinguit inter *infinitatem certæ alicujus prædicati*, aut certæ alicujus perfectionis, & *Infinitatem simpliciter*. Illa non est prædicatum quidditativum, sed modus illius perfectionis. e. g. Infinitum in solâ ratione bonitatis, non est alterius rationis à bonitate finitâ. Ita, si per impossibile daretur aliquod infinitum in solâ ratione Entis, præcisâ infinitate perfectionum reliquarum, id non esset alterius rationis ab Ente finito. Hæc dici potest infinitas intensiva. Infinitas autem simpliciter est infinitas omnium perfectionum, quæ potest dici extensiva. Et hæc demum est prædicatum quidditativum & essentialiale divinitatis. Infinitas itaq; per consequentiam demum est prædicatum essentialiale divinum, quatenus infinitatem Entis comitatur infinitas simpliciter, ea sc. quæ omnium perfectionum est. Aliàs etiam linea infinita concipi potest, & duratio infinita.

C

Si di-

Si dicis. E. infinitas non est modus determinans Ens ad Deum.
 Responder: Licet possit Ens concipi Infinitum formaliter, absque eò, quòd Deus actu concipiatur; tamen realiter & consequenti necessitate debet concipi Deus sub conceptu Entis Infiniti; quia Ens infinitum necessariò Deus est. Ita secundum Meurisse Ens determinat finitum & infinitum. Modi porrò Substantiæ & Accidentis (verba recenseo Auctoris) seipsis & immediatè constituunt diversas naturas, & non (ut finitum & infinitum) perficiunt Ens intra propriam suam rationem formalem, sed illud ita modificant & determinant, ut diversas naturas essentialiter distinctas constituent. Per se & in alio, juxta Auctorem, sunt modi intrinseci Entis creati & completi, ut finitum & infinitum sunt modi intrinseci Entis in se. Hoc tamen intercedit discrimen, quod finitum & infinitum sunt modi talis conditionis, ut non constituent aut distinguant novam quandam naturam, sed priorem tantum, cujus sunt modi, magis explacent, & in certo gradu constituent & perficiant magis aut minus, intra eandem rationem formalem: quia hi modi se habent, ut intensio vel extensio, quæ modificant res, quarum sunt modi, absq; varietate formali illarum. Per se autem & in alio sunt alterius rationis, & magis ad differentias accedunt. Nam Ens divisum in Finitum & Infinitum, ut sic (sepositis cæteris rationibus constituentibus certam naturam) est confusum tantum confusione graduum intrinsecorum: Ens divisum in Ens per se, & in Ens in alio, est confusum confusione partium subjectivarum & graduum quidditativorum. Hic est Discursus de hac questione ex Meurisse.

§. 16. Verum confundit se nimia subtilitate homo, & confundit modos intrinsecos cum gradibus intensivis & extensivis, quos distinguendos diximus §. 7. & ipse Meurisse, ut difficultates effugiat, distinguendos esse agnoscit *q. II. concl. 4. §. vel si tota*. Discrimen enim ponit inter *modos intrinsecos conceptus confusi; & natura determinata*: & quidem talem; quod hic non variet ipsam naturam, cujus est modus (e. g. gradus quartus caloris & albedinis) quia supponitur illa natura jam constituta determinatè, per suos gradus essentiales & specificos: Ille vero variet

riet rationem illius conceptus, cuius est modus intrinsecus, dum illum transfert à ratione conceptus, ad rationem naturæ; quod contingit & propter confusionem conceptus, & propter constitutionem s. potius explicationem naturæ. In determinatione enim & explicatione conceptuum confusorum, naturæ, quæ quasi fuerant involutæ, ut loquitur Meurisse, in huiusmodi conceptibus intellectis & acceptis sine suis modis, statim coalescunt & determinatæ redduntur. Dico itaq; spuriam esse notam modi, quòd determinandò conceptum confusum distinctas essentias non constituat: nec excogitandum hic esse discrimen inter modos finiti & infiniti, & modos per se & in alio. Nam quia & linea infinita (quam dari non est impossibile) Ens est infinitum, *infinitate sc. unius certæ perfectionis & prædicati*, Infinitas ut est *gradus intensiois*, non est ille modus Ens determinans ad certam naturam, sed *infinitas simpliciter*, quam variare & constituere distinctam ab Ente infinito naturam, ipse agnoscit Meurisse.

§. 17. In compendium contrahamus quæ dicta sunt. *Quia* Entis aliquis conceptus est præcisus ab omnibus, oportet Ens determinari per aliud: non extrinsecum, quia Enti nihil extrinsecum, cum omne, quod est, Ens est; nec per seipsum simpliciter; aliàs maneret semper Ens simpliciter. E. per aliquid sibi intrinsecum, modos sc. intrinsecos. Idq; non per viam compositionis, sed explicationis. *Quibus rectè perceptis*, evanescit difficultas illa, quam ab initio proponebamus. Negamus enim primum modum, determinantem Ens e. g. ad Substantiam, eò quod determinatum est, præsupponere aliud determinativum. *Quia* determinat Ens non per aliud, sed per seipsum, non componendò, sed expressius concipiendò id quod confusum. *Dices*, Modus est Ens cum aliquò additò. *R.* non cum aliquò additò ab Ente distinctò, Enti enim nihil extrinsecum, sed cum additione explicationis, sive potius est idem Ens, sed expressius conceptum. Idem enim contrahi potest per seipsum, ut confusum per expressum, sed non ut per differentiam. Concludimus verbis Armandi de Bello Viso *tract. 1. c. 4.* hanc rem ita explicantis: *Enti non potest aliquid addi quasi extraneum à naturâ ejus, per modum, quò differentia additur generi, vel accidens subjecto, quod qualibet res essentia-*

essentialiter est Ens. Unde Philosophus 3. Metaph. probat, quod Ens non possit esse genus. Dicuntur autem aliqua addi supra Ens, in quantum exprimunt aliquem modum ipsius Entis in essendo, qui non exprimitur explicitis e nomine Entis absolute considerati.

Corollaria.

I. Lumen reflectitur, nec tamen est corpus.

II. Omne corpus est in loco; nec audebo quicquam excipere, quod ullo modo corpus est. Si in loco est, in spatio sit necesse est; superficie corporis continentis claudi, non est necessarium. Nam locus spatium est, non superficies. Si duo vel plura distincta loca occupat corpus unum, unitatem corporis servare potest, qui omnia potest, sed mentiri non potest.

III. Nihil recte rationis, fidei articulum potest evertere: dicam audacius. Uerum Articulum Romanum de transsubstantiatione Elementorum in Sacra Cœna evertat quicquam quod sanæ rationis sit, dubito. Faciamus periculum. Ex te, Examinator Benevole, si rationem aliquam didicero, erit quod mihi gratuler. Hactenus enim falsum esse persuasus fui, quod non nemo dixit: Transsubstantiationem ex Philosophiâ facilius refutari posse, quam ex Theologiâ.

Quanta SAGITTARI tibi mens Studiosa, loquuntur
Pulpita, quæ studio sunt tepesacta tuo:
Nec satis, en repetis Cathedram nova spicula vibrans,
Ens superum quid ad hæc inferiora trahat.
Quid dicam? Ipse tibi pharetram lætasq; SAGITTAS
Nomen ut & felix omen Apollo dedit;
Ut detur optatam telis contingere meram,
Et referas paulò læta brabeia, precor.

Prestantiss. Dn. Respond. conterraneo suo singulariter
dilecto boni ominū e. hæc apposuit

Johan. Hieronymus Staudius
Cammino-Pomer.

riet rationem illius conceptus, cuius est modus
 illum transfert à ratione conceptus, ad ratio-
 contingit & propter confusionem conceptus
 stitutionem s. potius explicationem naturæ.
 enim & explicatione conceptus confusorum
 fuerant involuta, ut loquitur Meurisse, in hi-
 bus intellectis & acceptis sine suis modis, s.
 determinata redduntur. Dico itaq; spurium
 quod determinandò conceptum confusum
 non constituat: nec excogitandum hic esse
 dos finiti & infiniti, & modos per se & in alic-
 nea infinita (quam dari non est impossibile)
infinitate sc. unius certæ perfectionis & prædicati,
aus inextensionis, non est ille modus Ens determi-
 turam, sed *infinitas simpliciter,* quam variat
 distinctam ab Ente infinito naturam, ipse agno-

§. 17. In compendium contrahamus quod
 Entis aliquis conceptus est præcisus ab omnibus
 terminari per aliud: non extrinsecum, quia
 cum omne, quod est, Ens est; nec per se
 aliàs maneret semper Ens simpliciter. E. per
 secum, modos se. intrinsecos. Idq; non per vi-
 sed explicationis. Quibus rectè perceptis, e-
 illa, quam ab initio proponebamus. Negar
 modum, determinantem Ens e. g. ad Substar-
 terminatum est, præsupponere aliud determi-
 terminat Ens non per aliud, sed per seipsum
 dō, sed expressius concipiendò id quod confu-
 dus est Ens cum aliquò additò. R. non cur-
 Ente distinctò, Enti enim nihil extrinsecum,
 explicationis, sive potius est idem Ens, sed
 ptum. Idem enim contrahi potest per seip-
 per expressum, sed non ut per differentiam,
 bis Armandi de Bello Vifo tract. i. c. 4. hanc r-
*Enti non potest aliquid addi quasi extraneum à natura
 quò differentia additur generi, vel accidens subje-*

the scale towards document

